



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Die Schedelsche Bibliothek

Stauber, Richard

Freiburg im Breisgau [u.a.], 1908

7. Hieronymus Münzer an Hartmann Schedel.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54213)

b) Schedel an Holzschuher. Nürnberg, 22. Jan. 1494 (2<sup>o</sup> Inc. c. a. 2715, fol. 200). Bitte um Übersendung des Haly.

Iesus.

Insigni viro Hieronimo Holtzher Padue amico sibi colendissimo S. P. optat. Vestra ornata atque humanissima scripta ostentant lucide Hali abatem unicum pro VIII libris superesse. Vetitumque ne ulterius imprimatur. Causam huius scire optarem. Cumque nitimur in vetita cupimusque negata [Ovid. am. III 4, 17] et ob raritatem operis Rogo apprime ut eundem quantocius et quam primum mittere velitis ad Sororium meum Albertum Heugel; is pecuniam restituet. Practica Philonii aput nos venalis reperitur. Inquisitionem habere velitis, an opus Petri de Abano quod Lucidatorem appellant (ut in eius Epigrammate habetur in palacio Padue) aput doctos aut venalis reperiatur. agite uti res vestra sit, et me ut facitis amate. Metus belli nos inquietat. ‚Inter finitimos‘ enim ‚vetus atque antiqua similtas Immortale odium nunquam et sanabile vulnus‘ [Juvenal XV 33 f]. Valete foeliciter. Ex Nuremberga anno domini 1494 die 22. mensis Ianuarii.

Hartmannus Schedel artium  
ac utriusque medicine doctor.

6. Sebald Babenberger an Hartmann Schedel. Heilsbronn, 28. August 1494 (Clm. 25060, fol. 142/43, Einlage). Dank für ärztliche Ratschläge, Bitte um Übersendung von Medikamenten.

Ypocratrice discipline viro doctissimo integerrimoque Hartmanno Schedel Nurnberge dies faustos agente [!] fautori suo sibi preferendo.

Cum sincero affectu salutem et si quid dulcius salute dedicat. Scripta vestra priscorum vatum dictis decorata, exulta, et ornata, expertissime vir, et accepi et legi, moxque patribus nostri monasterii vestras sedulitates quibus singulos afficere integerrimo affectu conamini, enodavi, quante gratitudinis sint nec Mercurius ipse explicabit sermone, attamen interim qui paria paribus reddere nequimus, aput altissimum quod possumus impertiri studebimus, ac Pyladis in Horrestem [!] ardores, (nota cano) vivaces reddemus. In regimine de quibusdam medicinis laude preferendis scribitis puta de medicamine tyriacali, et de confectione cordiali in duplici forma sub bolis et rotulis sumenda has oro cum presentium ostensore facite mittantur primi quantum postulare necessitas videtur. secundi profecto tantum si fata sive novercans rote motrix quam propiciam adhuc habemus plus successu temporis exigit, semper in apotheca reperiemus. Valete et ut valeatis opto ex Fonte salutis velocius euro in die Augustini anno etc. XCIIII.

Sebaldus Babenberger theologie licentiatus.

Nachschrift: Medicaminis tyriacalis pixidem mediocrem dumtaxat pro necessitate remittere procuretis.

7. Hieronymus [Münzer] an Hartmann Schedel. Lyon, 1. Sept. 1494 (Clm. 23877, fol. 204<sup>1</sup> und 204<sup>2</sup>). Nachrichten über seine Reise etc.

Clarissimo utriusque medicine doctori Hartmanno Schedel suo charissimo Nuremberge. 1494 adi 1 Septembris Ex Lugduno:

Clarissime doctor: Ieronimus vester salvus venit Lugdunum: Veditque vetustates quam plures Elweciorum: montes Lemnanos: Allobrogos: et varia que mihi voluptati erant: Ad Mortonem prope Bernam dum venirem o quam magnam mortis

ymaginem: locumque clade Karoli Burgundie ducis insignem vidi. Tanta est congeries ossium cesorum strage conportata: ut homini sane mentis stupor et quasi lippotomia [= Ohnmacht] suboriri Videatur: Supraque fores sacelli hoc epigramma meo iudicio satis rude insculptum est:<sup>1</sup>

Valeant qui vafrum campo pellere hostem  
 Agressi, Karolum Burgundie lumen superbum:  
 Celicolas cantu, martisque onerent aras  
 Victima dulci armorum qui novere vires:  
 Annorum fluxu milleno quadrigenoque  
 Iunctis septaginta sex: quos<sup>2</sup> Atlas voverat, axe  
 Cesa hec corpora trux straverat hostium ensis.

Peragratis item Friburgo: Losanaque insignibus locis: supra ripas Lemnani lacus Gebennam veni celeberrimum cesaris memoria locum: circa quem Rhodanus Gallie fluvius Lacum effluit de quo Frontonius in epigramatibus<sup>3</sup>.

Est locus Allobrogum: prisci dixere Gebennas  
 Quem lacus exornat cristallos<sup>4</sup> clarior omni  
 Atque lacum medium scindit purissimus amnis  
 Rhodanus, et torrens Araris: montesque Lemanni<sup>5</sup>  
 Cesar in Elwecios tendens: populosque rebelles  
 Romanis, urbem hanc coluit, pontemque reponens  
 Trans Rodanum: struxitque deis celeberrima templa  
 Condidit hanc Genabus, postquam Numancia<sup>6</sup> cessit  
 Hispanus: atque suo Genabam<sup>7</sup> de nomine dixit.

Veni postea via satis ardua: per moncium precipicia: Vallium abrupta in planiciem pulcherrimam: Clarissimam Lugduni civitatem. O quam admirabilis situs: locique comoditate refertus! Non est hora ea omnia calamo exarare; Quiescunt Lugduni infinita sanctorum corpora: Ad Minores corpus Bonaventure clarissimi devotissimique doctoris: ad sanctum Paulumque corpus dulcissimi experientissimique Iohannis de Gerson Parisiensis cancellarii: Cuius hoc est epitaphium:

Magnum parva tenet virtutibus urna Ioannem  
 Precelsum meritis: Gerson cognomine dictum  
 Parisius sacre professor theoloye  
 Claruit ecclesie qui cancellarius: Anno

<sup>1</sup> In Clm. 431, fol. 100 retro erzählt Münzer, er sei am 17. August 1494 in Murten gewesen. Die Masse der Gebeine der Erschlagenen werde in zwei repositoria aufbewahrt, von denen das eine 20 Schritt breit, 6 lang und ebensoviele hoch sei. Das andere sei 7 Schritt lang und 5 breit. Horribile est videre tantum ossium cesorum cumulum. Et continuo lacus alia loca (sic! wohl für ossa) eicit que illuc reponuntur.

<sup>2</sup> q mit einfachem Horizontalstrich darüber.

<sup>3</sup> In Clm. 431, fol. 100, wo die gleichen Verse von Schedels Hand geschrieben stehen, heißt es am Schluß derselben: Hec Frontonius in epigramatibus civitatum.

<sup>4</sup> So in Clm. 431, in Clm. 23877 cristallus.

<sup>5</sup> So in Clm. 431, in Clm. 23877 Lemnani.

<sup>6</sup> Randglosse: Urbe Hispanie devicta a Scipione. Über Numancia ist a übergeschrieben.

<sup>7</sup> In Clm. 431 Genabum.

Milleno domini centum quater atque vigeno  
 Nono: luce petit superos Iulii duodena:  
 Penitemini et credite ewangelio.

Pro nunc his pauculis mi Hartmanne estote contentus: dicatisque patribus Carthusie et S. Egidii quod mihi eadem est voluptas ex illa preclara peregrinatione quae ipsis est ex flobothomia [!]: Iam delector in flobothomia medicus mox voluptuabor in rebus Massilie et Hispanie que mihi erit flobothomia epatiche: in reversioneque per regnum Francie: Flandrie et Brabancie concludam flobothomiam saphene: Libros raros nullos reperio: Nisi clarificatorium super Nono Almansoris Ioannis de Tornamira quem facile ex Venetiis habebitis.

Item quendam alium libellum qui intituletur liber desideratus de motibus omnium orbium sive calculo quem edidit quidam Guielmus de Zelandia in villa Carpentras: et est parvus libellus et cum figuris quem emi pro fl. tribus Rinensibus magno precio quem cum videbitis si placet tantum exponere quantocius vobis ipsum ordinabo:

Alia nunc non occurrunt: Nisi quod omnes doctores et nostros amicissimos salvos esse cupio per

Vestrissimum [!?] Ieronimum medicum.

Salvus item sit Georius Schedel mihi charissimus cum honesta conthorali vestra.

Patri item Carthusie dicite quod Litteras suas ex Gebenna per certissimum nuncium reverendo patri maioris Carthusie miserim, distancia a recta via prohibuit ne illac venirem: salvum item dicite patrem Sebastianum: procuratorem et omnes: invicemque alter pro altero oremus. Ex Valencia deo duce Hispanie alia ex me habebitis. Secunda Septembris super flumine Rhodano Lugdunum exeuntes, Avinionem applicabimus.

8. Petrus pharmacie doctor, P̃hysikus von Amberg, an Hartmann Schedel. Amberg, 25. Oktober 1496 (Clm. 25060, fol. 178/9, Einlage). Bitte um Aufschluß über das malum Francie und dessen Behandlung.

Clarissimo viro domino Hartmanno Schedel artium et medicine doctori preceptor et domino suo venerando.

Salutem cum sui recommendatione dicit, eximie domine doctor maior et preceptor optime, quamvis presenciali conversatione d.[ominacio] v.[estra] michi penitus ignota sit, fama tamen celebri doctrina et benivolentia notissima, unde ducor non nichil ex d.[ominacione] v.[estra] petere, sperans id eciam facile consequi posse, et ut rem pau [cis ?] agam, audio cum in civitate vestra Norimbergensi tum apud alios sevir egritudinem horribilem apud nos antea inauditam vel penitus ut vulgus refert incognitam pluribus doctis, quam et nonnulli vulgares malum Francie apud me nominaverunt. Rogo et obsecro d.[ominacionem] v.[estram] pro innata sua bonitate velit et de nomine causis et modo cure quid modici ad me scribere ut si quando quod deus avertat huiusmodi perhorrenda egritudo meos Ambergenses invaderet quibus scio d.[ominacionem] v.[estram] non parum aduc esse affectam, possem saltem audatius apud eosdem de ea egritudine loqui, nec dedignetur rogo dominatio vestra mea causa id laboris assumere. si enim non potero d.[ominacioni]